

Oorkonde over het gevecht bij Hintham

Overgenomen uit H.P.H. Camps, Oorkondenboek van Noord-Brabant tot 1312, p. 837-838, nr. 701.

Universis presentia visuris vel auditoris nos scabini, .. iurati et burgenses in Buscho ducis universi notum facimus recognoscentes in conventionem habita inter nobilem virum dominum nostrum dominum .. I(ohannem) dominum de Kuyc et Rogerum de Levedale senecaldum domini nostri .. ducis Brabantie ex una parte et nos ex altera super pace nostra cum dicto domino nostro .. duce reformanda inter cetera esse condictum et ordinatum: quod captivi omnes et singuli qui in insultu et conflictu commissis nuper inter villas de Rosmalen et de Hyntham inter burgenses nostros de Buscho ducis et homines seu adiutores dicti domini nostri .. ducis capti fuerunt, ex utraque parte a captivitate hincinde emittentur et deliberabuntur, liberi et penitus absoluti, simul cum rebus et bonis suis cum quibus capti fuisse noscuntur. Et quod bona et res que per nostros comburgenses seu ex parte eorum dictis hominibus adverse partis ablatae fuerunt dictis hominibus quorum fuerunt plenarie reddentur, ita quod si que de dictis rebus que per veritatem inveniantur dictis hominibus in dicto insultu seu conflictu per nostros comburgenses seu ex parte eorum ablatae fuisse alienate fuerint seu deperdite, nos valorem ipsarum rerum seu bonorum sic alienatarum seu deperditarum restituemus et solvemus eisdem. Est etiam in dicta conventionem de Arnoldo de Utewiic exemptum et conventum quod, si quod absit, eundem Arnoldum de lesione sibi in dicto conflictu per nostros burgenses seu ex parte eorum illata mori contigerit et eum ex lesione huiusmodi per veritatem mori constiterit, extunc ad arbitrium duorum proborum virorum ex parte nostra et duorum proborum virorum ex parte consanguineorum dicti .. Arnoldi ad hoc eligendorum reconciliationem seu satisfactionem de morte ipsius Arnoldi sue consanguinitati faciemus. Que premissa pro parte nostra firmiter observare promisimus et fideliter adimplere.

In cuius rei testimonium sigillum oppidi nostri de Buscho ducis presentibus duximus apponendum.

Datum et actum quinta feria proxima post dominicam in sexagesima, anno Domini millesimo tricentesimo quinto.